

Muroregon



# Nos Fr. D. Franciscus Xaverius Lanzurica Corralba,

Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Episcopus Titularis Siniandeni., Administrator Apostolicus diocesis Victoriensis, etc., etc.

Dilecto nobis in Christo Dno. Josepho M<sup>o</sup> Arizmendi-arrieta et Madariaga, secundo ex quinquennialibus examine praemisso.

salutem in Domino sempiternam. Cum te in Presbyteratus ordine canonice constitutum, ac sacris caeremoniis congruenter instructum esse noverimus, licentiam tibi concedimus ad tempus quo praedicta examina quinquennialia mensis junii anni proximi, celebrentur.

duraturam, ut justa Missalis Romani rubricas, in hac nostra Dioecesi, sine juris parochialis praejudicio, Missae Sacrificium celebrare valeas etiam in Oratoriis privatis; praecipientes omnibus et singulis ecclesiarum rectoribus et superioribus, caeterisque ad quos spectat, ut ejus usum nec impediunt nec impedire praesumant: nemine tamen dubitante, Nos cleri decori et fidelium aedificationi consulentes, quemquam sacerdotem celebraturum accedere sine habitu clericali omnino interdictum velle; immo caeremonias cum gravitate et modestia fieri, lectionemque ita distincte pronuntiari volumus ut non minori tertiae partis horae spatio Sacrum peragatur.

Simili modo, cum fidedignum de tuis virtutum meritis testimonium habeamus, facultatem item tibi impertimur ut Dei verbum praedicare et evangelicam doctrinam juxta Ecclesiae declarationes ac Patrum sententias, aperire possis et valeas; ex animo tibi commendantes ut quae in encyclicis Litteris Humani generis Sanctissimi Domini Nostri Benedicti PP. XV, diei 15 junii 1917 et in normis S. Congregationis Consistorialis, diei 28 julii 1917 praescribuntur, fideliter serves.

Maxima etiam vitae ac morum integritate, singulari prudentia, ac scientia rerum divinarum congruenti praedictos esse oportet, qui ad Poenitentiae Sacramentum ministrandum deputandi sunt. Cumque te hisce dotibus satis ornatum non inmerito judicemus, idcirco potestatem tibi impertimur ad praedictum tempus duraturam, ut in hac nostra Dioecesi sine praejudicio juris parochialis, confessiones audias, omnesque poenitentes, **exceptis Religiosis**, rite dispositos absolvere valeas a quibuscumque peccatis, praeter ea quae Sedi Apostolicae ac **Ordinario** sunt reservata. Utere ergo accepta potestate ad aedificationem, non ad destructionem, et summopore cave, ne dum alios a peccatorum satagis nexibus liberare, te infeliciter implices, quae pro recta hujus tanti Sacramenti administratione a sacris canonibus sancita sunt, attente legens, accurate perpendens et fideliter exequens. Prae oculis praesertim habeas Constitutiones Benedicti XIV, incipientes: Sacramentum Poenitentiae, Apostolici muneris et Apostolici ministerii adversus sollicitantes, venerum complicem et sacramentalis sigilli infractores latas; et si quid arduum inveneris, in cujus resolutione sis anceps, sapientiores te consule, absolutionem interim differendo. Serio quoque tibi praecipimus, ob tanti Sacramenti venerationem, ne in privatis domibus vel Oratoriis illud administres, nisi gravis postulet necessitas. Tandem te semper admonitum esse volumus, ut in omnibus gloriam Dei et salutem animarum promove studeas, plusque ad id assequendum orationi quam propriae industriae fidas.

Datis in nostro Episcopali Palatio Victoriensi die decimo-quinta mensis junii anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo tertio



*Xaverius*

De mandato Excmi. ac Rvmi. Administratoris Apostolici.

*Isidorus Rodriguez*

CASUS PRAELATO RESERVATI

Periurium in iudicio.  
Homicidium voluntarium, atque formalis ad id cooperatio.  
Incendium domuum aut messium, vastiatove arborum,  
aut vinearum, es deliberata damnum inferendi intentione.

Praecedentes licentias de speciali gratia et benevolentia Excmi. Episcopi, occasione sui in Dicecesim ingressus, ad tempus anni unius prorogamus, ultra concessum in decreto immediate praecedenti. Victoriae 10 februarii 1944.

*[Handwritten signature]*



De mandato Iltmi. Vicarii Generalis.

*[Handwritten signature]*

Derechos	2
Agencia	
Culto y clero	1
Total	3/4

Praecedentes licentias, tertio ex quinquennialibus examine praemisso, usque ad examina quinquennalia mensis aprilis anni proximi, prorogamus. Victoriae 24 maji 1945.



*[Handwritten signature]*

De mandato Iltmi. Vicarii Generalis.

*[Handwritten signature]*